

tulit ac portavit super lignum in corpore suo. Sic ergo amor proximi requirit, ut fortior supportet debiliorem. Idem elephantēs etiam facere docuit natura : cum enim pugnandum est, adulescentes et fortiores ducunt agmen ac pugnam ineunt, juniores retro ponunt, adeoque seniores pro junioribus periculo vitam exponunt. Hunc in modum præcipit amor, pro bono proximi incommoda aliqua subire, adeoque temporalem etiam vitam ponere pro alterius animæ salute, quando ea aliter servari nequit. Ita enim docet S. Joannes, ep. I. c. III. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere, quando scilicet de salute æternæ periclitantur.* Id enim dicitur ordo charitatis, qui jubet animam corpori, æternitatem temporis præferre : ita S. Paulus pro fratribus animam posuit, S. Sebastianus vitam suam exposuit morti et martyrio, ut SS. Marcum et Marcellianum ex tentatione parentum nutantes in fide confirmaret : ita et Persa ille Pusices, ut Ananiam in cæde trepidantem animaret, in vita S. Simeonis, 21. aprilis Lipei. S. Vitalis videns Ursicinum medicum ad supplicium ductum titubare, voce sua corroboravit ; unde et ipse tantus, martyrioque affectus fuit S. Martinus, cum arborem pinum, fano gentiliū proximam, excidere pararet, gentiles vero id nulla ratione permittere vellent, nisi cæsam et cadentem arborem brachiis vellent excipere, sponpondit lubens, et stans infra arborem jamjam in se cadentem, precibus in partem alteram deflexit, ut in ejus vita. Porro vitam suam temporalem pro alterius vita etiam temporali generaliter quidem nemo tenetur exponere; laudabiliter tamen faciet, qui amore virtutis vel ad aliorum exemplum exposuerit. Cujus exemplum præbet Alphonsus supradictus rex ; qui cum naufragos auxilium implorantes vidisset, suos cohortatus ut opem ferrent, illi vero timerent ob exortam tempestatem, ipse navim solvit, dicens : *Satius est una cum sociis viris fortissimis accumbere, quam illos videre ante oculos extrema pati,* Panorm. lib. II. gest. ejus. Docuit hoc et Christus, qui Lazarum ad vitam revocaturus, trepidantibus discipulis, cum periculo vitæ in Judæam rediit, Jo. XI.

VII. Duxit in stabulum et curam ejus egit, eundemque stabulario commendavit. Idem Samaritanus noster Christus præstitit, tum quando exemplo suo ad omnem virtutem nos prævit; tum quando per baptismum in Ecclesiam induxit, et pastoribus animarum commendavit. Idem præcipit amor proximi, ut eum non quomodocumque, sed efficaciter juvemus, et per-

fectam ejus curam habeamus. Quid enim prodest pauperi, qui laborat febrī, si fragmentum panis tribuas aridum et durum, quod vix cani domestico dares? Duc eum in domum tuam, repone in lectum, medicinam adhibe et voca medicum, juxta id Isaïæ LVIII. *Frange esurienti panem tuum, (tuum, quem tu comedis, non quem canes edunt) et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum.* Spiritualiter vero, ut proximum errantem non solum dirigas consilio, sed educa etiam bono exemplo ad virtutis viam. Quid enim si bene aliquem doceas, male autem vivas? Nonne una manu ædificas, altera vero destruis? Non ita Job, qui dixit : *Oculus fui cæcus, et pes claudus,* cap. XXIX. direxit ergo cæcum verbo, ac duxit claudum exemplo : *Qui verbo alium docet, sed facto non ducit, similis est homini, qui monstrat alteri viam ad S. Jacobum, sed ipsemet eo non vadit,* aiebat B. Egidius, S. Francisce socius.

Hunc igitur in modum sit unusquisque nostrum Samaritanus, hoc est, custos proximi sui et curam illius habeat, quia scriptum est, Ecclesiastici XVII : *Mandavit illis (Deus) unicuique de proximo suo.* Non simus instar Caini, qui dicebat Deo nequiter : *Num custos fratris mei sum ego?* Omnino, mi Cain, custos illius esse debebas : sic enim cum stellione irrepere in palatium cæli poteras et gehennam vitare.

## CONCIO V.

### OLEUM CONSOLATIONIS INFUNDITUR PLAGIS AFFLICTORUM.

I. Cogitet afflictus castigari se a Deo patre amantissimo. — II. Cogitet afflictionem esse medicinam suam. — III. Cogitet afflictionem suam esse minus malum impatientia. — IV. Cogitet se Deum habere spectatorem. — V. Cogitet mercedem incomparabilem patientiæ paratam. — VI. Cogitet inferni penas.

### THEMA.

*Appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum.* Luc. X.

Quid sibi velint vinum et oleum in sauciati vulnera a Samaritano infusum, pulchre nobis exponit S. Greg. XX. moral. cap. VIII. « Vinum, inquit, adhibetur et oleum; ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur : quatenus unusquisque, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis : per vinum munden- tur putrida, per oleum sananda foveantur. Mis-

ceda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul ac manna est : quia cum Scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis. » Ex quo doctore habemus, oleum consolationis adhibendum in primis vulneribus afflictorum et errantium, cum aliqua tamen severitate. Nos jam alibi de correctione agentes, vinum errantibus infundimus : nunc oleum consolationis afflictis infundamus.

I. Cogita affligi et flagellari te a Deo, patre tui amantissimo, non ab hoste, non a carnifice, tametsi flagellum ipsum forsitan hostis, et inimicus tuus vel etiam carnifex est. Hæc enim instrumenta sunt, a Deo Patre elevata ad te castigandum, juxta id Psalmo LXXXVIII. *Exaltasti dexteram deprimentium eum.* Levius autem fert plagas filius a patre, quam a carnifice inflictas; quis nescit? Amarissimum fructum fer absinthium; radicem tamen habet dulcissimam, præsertim id quod in Ponto nascitur, teste Plinio, l. XXVII. c. VII. Itaque, licet paupertas, morbus, persecutio, exilium, bellum, carcer, acerbos tibi fructus gignant, scito tamen eos a dulcissima prodire radice, scilicet a paterna Dei manu. Indicaturus hoc Deus Judæis, ob peccata puniendis, porrexit Ezechieli librum scriptum intus et foris, in quo scriptæ erant lamentationes, carmen et væ, hoc est, minæ gravis castigationis, Ezech. II. qui tamen liber cum ex mandato Dei comestus a propheta esset, factus est in ore ejus ut mel dulcis, c. III. Unde hæc dulcedo ex libro tam funesto, nil aliud continente præter lamentationes et væ? A manu Dei, quæ porrexit librum istum, ut ait Isidorus, Clarius et alii. Dulces enim fiunt labores, dum a manu Dei provenire cogitantur; qua de causa etiam lapides S. Stephano dulces fuerunt, craticula Laurentio, carbones Tiburtio, etc. quod et Christus Dominus exemplo suo firmavit, quando Petro passionem ipsius impedire conanti in monte Oliveti, dixit : *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Joan. XVIII. q. d. calix bonus et acceptabilis est, quem porrigit Pater Filio, nequaquam amarus aut abominabilis; cur igitur non bibam illum?

II. Cogita afflictionem esse medicinam tuam. Diximus absinthium prodire ex radice dulci: nunc addendum, absinthio etiam illuminari oculos et visum acui, ut scribit Aretas, in c. VIII. Apoc. Idem vero et afflictis præstat; mons-

trat enim homini infirmitatem propriam qui se æneum et infractum reputabat, reducit idem in mentem admissa peccata, quasi propter illa patiat, uti fratribus Josephi, qui in angustiis positi, post annos viginti et amplius recordati demum sunt, et se mutuo redarguerunt sceleris sui in fratrem admissi, Gen. XLII. Neque solum ostendit, sed etiam sanat peccata, si cum penititudine et patientia sustineatur; quomodo pluvia sanat rimas et quasi vulnera terræ, nimia siccitate scissæ et hiantis, ut ait Ecclesiast. cap. XXXV. *Speciosa misericordia Domini in die tribulationis, sicut nubes pluvie in tempore siccitatis.* Pluvia arenti terræ quasi emplastrum est impositum; quæ etsi terram verberat, interim tamen sanat. Præter in hoc posterum reddit cautiorem et continet in officio, uti pædagogus puerum natura petulantem; quod testatur his verbis Div. Chrysost. homil. LXII. ad populum : « Magnum est bonum tribulatio, et hoc ex nostris discimus filiis; nam absque tribulatione nihil discerent utile: nos autem plus illis afflictionibus indigemus. Si enim illic passionibus quiescentibus illos muniunt, multo magis nos, et præsertim tantis detentos, sed nos potius pædagogos oportebit habere. A puerulis enim nunquam magna committuntur peccata, a nobis vero magna nimis: pædagogus autem noster tribulatio. » Certe eo pædagogo refrænatum se apostolus dixit ab elatione mentis, II. Corinth. XII. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, sive is esset corporis aliqua infirmitas, ut multi volunt, sive aliæ tribulationes, sive carnis tentatio, ut alii.* « Hic monitor, ait S. Hieronymus, epist. XXV. ad Paulam, de obitu Blesillæ, Paulo datus est ad premedandam superbiam, uti in curru triumphali triumphanti datur monitor suggerens: Hominem te esse memento. » « Quare, ut optime monet S. Greg. III. p. pastor. admon. XII. admonendi sunt ægri, ut considerent quanti sit momenti molestia corporalis, quæ et admissa peccata diluit, et ea quæ admitti poterant, compescit. » Propterea S. Paulus, licet interrogasset Dominum, ut auferretur ab eo stimulus ille, non tamen exauditus fuit : « Ut intelligat homo (inquit S. Augustinus, in id Ps. XXI. § III. *et non id insipientiam mihi*) medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non ponam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas : non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. »

III. Cogita afflictionem tuam minus malum esse impatientia, quam incurris excutiendo afflictionem. Afflicto enim non nisi corpus pre-

mit, impatientia vero animam jugulat; de duobus igitur malis minus eligendum. Sanctus Andronicus martyr cum a Maximo Ciliciæ præside urgeretur ad deserendum Christum, eo dicente: *Antequam exterminetur corpus tuum, miser, audi me*, respondit: *Melius est ut corpus meum pereat quam anima*, in ejus actis, apud Sur. 11. octob. Verissime et sapientissime: corpus enim in hac vita nec tam diu, nec tam dira potest pati, sicut anima. Jam si per impatientiam excutere coneris afflictionem tuam, corpus non salvabis, et insuper animam sauciabis. Moyses, ubi projecit virgam suam in terram, versa est in colubrum, Exod. IV. ita si abjicere velis tribulationis tuæ virgam, vertetur tibi in colubrum, et necabit animam tuam, quæ aliquin corpori tantum molestiam attulisset. Coluber, quia umbras colit (inde enim nomen accepit) diabolum representat, qui et ipse *sub umbra dormit*, (Job. XL.) cum tenebrarum princeps sit. Suæ igitur Dei jugum excutit, et gravissimum diaboli incurrit, qui virgam correctionis repellit per impatientiam: *Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber*, inquit Amos, cap. V. Ubi S. Hieronymus: « His nominibus videntur mihi significari vel diversa supplicia, vel ipse diabolus, qui recte et leo et ursus et coluber appellatur: » nimirum leo in vita, ursus in morte, coluber in gehenna, ubi damnatos mordebit, ut ibi notat Hieronymus. Quo etiam sensu optime dixit Ecclesiast. c. XXV. *Non est caput nequius super caput colubri*. Leo prostratis parcat, ursus in morientes sævit, coluber mortuos rodit ac depascit. Qui fugit patientiam, incurrit impatientiam, et ex hac gehennam. Quis igitur ex his tribus malis minimum non eligere malit præ majori altero et tertio omnium maximo? In vita S. Sulpitii cognomento Pii, Bituricensis episcopi, legimus furem quemdam in cellam viri sancti penuariam noctu irrepsisse. Cognovit id episcopus divina revelatione, et misit unum e suis, ut furem inde educeret. Abiit is adjuncto socio, et furem invenit, qui tamen anguillæ instar ex eorum manibus mira lubricitate elapsus est: sed cum effugii locum non reperiret, in puteum octoginta fere cubitorum altum insilire maluit, quam se captivum dare, apud Sur. 17. jan. Quis hunc non insanuisse dicat? Nonne enim præstabat ad viri sancti genua cadere, et gratiam implorare, quam in tale præcipitium ruere? Nihil magis sapiunt, qui in calamitate positi, malunt in genennæ puteum per impatientiam se præcipitare, quam ad Dei flagellum sustinendum se humiliter se prosternere.

IV. Cogita te spectatorem habere Deum, qui te quasi in theatro cum bestiis pugnantem spectat magna sua voluptate et desiderio victoriae tuæ; quemadmodum de se sui que similibus testatur apostolus, I. Cor. IV. *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus*. Hujusmodi spectaculum Deus sibi, angelis et hominibus exhibuit in Jobo, quem ad luctamen tradidit Satanæ, ita tamen ut animam ejus non læderet, h. e. ne illum occideret, seu, ut Cassianus, collat. VII. c. XII. Didymus et Olympiodorus censent, ne stuporem menti ejus induceret; quia luctamen cum dæmone veluti cum leone cernere et victorem præmiare intendebat, quomodo principes spectando luctantes cum bestiis se recreant. Intellexit hoc et Seneca, qui in l. de providentia, cap. II. scribit: « Spectant dii magnos viros collectantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo exceperit, si leonis incursum interitus pertulit. Tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestius fecit. Non sunt ista, quæ possunt deorum in se vultum convertere, sed puerilia et oblectamenta humanæ levitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignus vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum. » Hæc ille more gentiliū ex rationis dictamine, et quidem vere atque apposite ad Jobi certamen et aliorum, qui in afflictione sunt, justorum: qui, si stupore aliquo capti aut phrenesi efferati paterentur aliquid, non majorem Deo voluptatem afferent, quam si fera venabula trajicerentur. At si pleno rationis et libertatis usu fortiter decertent cum calamitatibus, tum demum ad spectandum se provocant et delectant Deum, quomodo S. Stephanus, sua fortitudine dimicans cum tot malevolis et doctis Judæis, provocavit ipsum Christum Dominum ad spectandum e cælo ejus certamen. Notum satis arbitror quod de ephebo Alexandri Magni scribit Valerius Maximus, lib. II. cap. III. Is enim cum sacrificanti regi assisteret, et carbone ardente, e thuribulo in brachium ejus delapso, ita ureretur, ut adusti corporis ejus nidor ad circumstantium nares perveniret pressit tamen silentio dolorem, ne vel sacrificium regis impediret, vel aures edito gemitu aspergeret. Qua pueri patientia rex adeo delectatus est, ut solito diutius sacrificaret, quo virtute juvenis animum suum pasceret. Quid ergo non ferat

homo, ut regis cælorum oculos sua fortitudine, sua patientia oblectet, si hoc tulit puer ob morituri regis gratiam et inspectantem oculum?

V. Cogita mercedem incomparabilem patientiæ tuæ paratam. De hac loquitur Eccles. c. I. § XXIX. *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis*. Quibus verbis alludit ad arbores, quæ in hieme patiuntur gelu, nives, ventos austeros, unde et spoliantur foliis ac fructibus, indeque quasi canescunt et moriuntur: verum tunc introrsum vires suas recipiunt, ut omnis calor cogatur in radicem, quæ e terra humorem sugant; itaque radix facta et grvida, in vere radiis solis quasi vivificata germinat, in lætas frondes, flores, fructus erumpit. Ita omnino patiens in adversis quasi in hieme, introrsum per patientiam se recipit in animæ penetralia, ibique vires succumque patientiæ et aliorum virtutum colligit, quæ postea in vere alterius vitæ parient ei meritos lætitiæ et gloriæ fructus. Porro, sicut hiems quarta anni pars brevis est respectu cæterarum trium partium, veris, æstatis, autumnii, quæ sua amœnitate hiemem multo fœnore compensant et quasi sepeliunt, ita alterius sæculi vita, omni amœnitate et dulcedine refertissima absorbebit omnes hujus vitæ tribulationes, nimoque lucro beatitudinis compensabit. Servit huic declarationi versio Vatabli, qui citat. Ecclesiastici textus posteriora verba sic vertit: *Et post ea exorietur ei lætitia*, alludens ad sementem, quæ in terram abjicitur, sepelitur, et pedibus rusticorum calcatur; postea in vere aut æstate exoritur cum virore et lætitia, magno quoque cum fœnore. Qua similitudine usus S. Jonas martyr, permisit sibi a tyranno digitos omnes abscindi pro Christo et in terram abjici, velut sementem, apud Surium, 29. martii, ut alibi recensuimus. Hujusmodi semen erat Joseph, dejectus primo a fratribus in cisternam, postea ab hero in carcerem, ubi eum triennio quasi

sepultus fuisset, postea summa cum gloria extractus, et regio curru impositus fuit. Unde perquam apposite benedicens ipsi pater dixit: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens*, Genes. XLIX. *Crevit enim*, inquit Rupertus, *in terra paupertatis suæ, et magnus vehementer est effectus, ut ipsemet dixit: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, Genesis XLI. *In terra*, inquit, *paupertatis*, quia pauper et spoliatus velut semen projectus est in cisternam et lacum, quasi in agrum, ut ibi cresceret. Hujusmodi granum fieri et esse desideravit S. Godefridus comes Cappenbergensis, qui cum, abdicato sæculo et comitatu suo, ordini S. Norberti sese addixisset, variasque a Friderico comite Arnspergio sacero suo persecutiones et injurias, graviores insuper minas pateretur, multis adstantium, ob tanti viri reverentiam lacrymas continere non valentibus, vir Dei conscientiæ vallo munitus, omnem furoris illius impetum secutus iridebat: vocatoque demum uno ex familiaribus suis, ait: « Forte infelix iste me captivare disponit; tu vero Norberto dicito, quatenus etiam si incarcerationatus fuero, ne quem pro mei absolute labore vel exiguum impendat. Ego enim pro lege Dei mei non solum incarcerari, sed etiam in carcere mori utinam condignus inveniar. Ego in carcere Deum meum deprecabor; in carcere misericordiam et miserationes ejus alacriter præstolabor. Opto siquidem ut, quemadmodum scopa usu detrita novissime flammis injicitur, sic corpus meum Christi exhaustum servitio, tribulationis demum igne consumetur. » Ita habet ejus vita, 13. jan.

VI. Ad extremum cogita poenas inferni perpetuas: *Quis enim*, inquit S. Augustinus, in Psal. LXVIII. *non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non condemnat dulcedinem sæculi inhians dulcedini vitæ æternæ?*